

cissent; hoc addito, ut nefas esset Alexandrinis, & Genuensibus de dicto castro se intromittere per quinquennium futurum, quo elapso duo eligerentur viri idonei, unus pro qualibet Republica, qui de iuribus utrorumque populorum intra quatuor menses iudicium ferrent. Interim Genuenses catapultas, manganos, & reliqua belli tormenta, quæ haberent in dicto castro destruerent, vel exportari facerent. Cæterum quod castrum Murisfasci Gullielmo Busato restitueretur, jure tamen Reipublicæ Alexandrinæ semper salvo. Genuensibus eodem laudo mandatum, ut castrum Arquati demoliretur, quod de cætero non reedificarent, in quod nec Derthonensis Respublica, nec Genuensis per quinque proximos annos, vel futuros se intromitterent; & pariter, quod bini eligerentur ab ipsis arbitris, qui definire jura ambarum partium intra quatuor proximos menses niterentur. Interim Genuenses Derthonensibus castrum Monteliani sine fraude aliqua redderent, quibus etiam liceret castra Montaldi, & Spinulorum retinere, & pariter Derthonensibus, præcipue vallem Barberiam habere, nec Genuenses Pasturanam retinerent; cæterum quod ad Alexandrinos attineret, contra Rempublicam Astensium idem Laudum pronuntiatum fuit, ut illa cessionem Alexandrinis faceret infra scriptorum castrorum, oppidorum, villarumque, quæ sunt ultra flumen Beldi (Belbum nunc appellatur) versus Alexandriam ex ea parte fluminis, quæ est Alexandrinorum, castrum scilicet Garbazoli, Calamandranæ Anfaldenghæ, Calamandranæ Ruffini Crozzæ, & Corbellarium, ac alterius Calamandranæ Manfredi, castrique Rocchettæ Palasæ, Sexami, Levazoli, Soirani, & jurium, quæ habent Astenses in castris Bubii, Canaschi, castri Burgi Canellarum; restituerentque vice versa Alexandrini Astensibus ipsis castrum sancti Martiani, Callocii, Alliani, Castrinovi, Laiterii (5), Viginti, omneque jus, quod prætenderent in Castagnolis, in Comitatu Laureti, & in castro Muaschi, & omne id, quod haberetur ultra Belbum, excepto tamen oppido Canellarum, quodque & oppidum Masii esset commune; & quod D. Jacobus Lanzavecchia civis Alexandrinus consequeretur libras centum ab Astensibus, curarentque illi, ut jura (6), quod super castro, & loco de Bionis haberet, Astensibus quam primum cederent, & omnes res admissa pariter compensatione sociis redderent, captivi restituerentur, dictæque tres Respublicæ a maleficiis, & armis abstinere, hac adjecta pœna in illos, qui Laudo huic non paruissent, ut castra, & loca non observantis observanti illico cederent, & decem millium argenti lib.; Memoratæ sententiæ Astensis Reipublicæ acquievit Barocius Burgo Prætor Astensis, Gullielmus Carroccius, Vermus Gardinus, Gullielmus Cacheranus, Gullielmus Cassinus, Gullielmus Vicarius, & Thomas Curtius. Legati pro Januensibus Ubertus Spinula, Bonifacius Volta, Petrus Ventus, Isignonius Grimaldus, Gullielmus Pittavinus, Ugo Cancellarius, Oppizzo Tardanus. Pro Albensibus Corradus Oculi Capræ, Obertus Malpasutus, Rugerius Carasius, & Paganus Iudex. Civitatis vero Alexandriæ nomine Rambertinus Ghislerius Prætor Alexandriæ, Otho Rubeus, Ruffinus

Gurscus, Ruffinus Asinarius, Ocionus, seu (existimo) Odonus Lanzavecchia, Gullielmus Carrutus, Ruffinus Forus, Philippus Cirimellus, Guido Piovera, & Jacobus Pestenarius. Pro Derthonensibus Clapejus consul Derthonæ, Ruffinus Malpassutus, Bulganus Iudex Derthonæ; Pro Taurinensibus Gullielmus Zucca, de quo quidem Laudo maxime sunt conquesti Januenses.

(1) Vide doc. N. 175. Col. 185. (2) Papiensium ita in MS. (3) In MS. omni jure. (4) Hic errore scribæ sensus absurdus vide par. 1. doc. 175. §. VIII. (5) Lanerii. (6) In MS. pro jure.

MCCXXVIII. Cum variis technis Capriatæ restitutionem Genuenses differrent, Alexandrini rem diutius non tulerunt, sed manu armata, aquilis explicatis oppidum invaserunt, illudque diripuerunt, qui resistere trucidati sunt, quo factum fuit, ut quædam Oppidanorum pars Gavium concesserit.

MCCXXIX. Cum Respublica Genuensis hoc a Guidone Prætoræ præsensisset, numerum armatorum equitum sexcentum Capriatam ire iussit, ut suis civibus suppetias ferret. Sed cum Alexandrini (res accidit) forte castrum recte munissent, Genuenses re infecta recesserunt. Eodem anno Ruffinus Forus unus ex Rectoribus Confœderatis Lombardiæ fuit. . . . (hic aliquid deest)

MCCXXX. Gliscente adhuc discordia, quam nominatæ Respublicæ jam contraxerant, compromissum iterum fuit, opera Genuensium in Sardum Archipresbiterum (1) Albensium, & Gullielmum Ministrum hospitalis sancti Johannis cum facultate tertium eligendi duobus discordibus, qui cum quemdam fratrem Bartholomeum Vicentinum ordinis Prædicatorum (2) in arbitrum tertium elegissent, vix deputatis duobus discordibus Capriatam Genuensibus adjudicavit.

(1) Archiepiscopum in MS. (2) Celeberrimus ea tempestate vir pro componendis inter Civitates, ac principes litibus, de quo multa mentio in Hist. Marchiæ Trevisanæ a Vercio ante paucos annos edita.

MCCXXXI. Roxenatus de Putheo-Bonello Mediolanensis Præturam exercuit, quo anno castrum, & oppidum Clavasii dirutum fuit.

MCCXXXII. Antonio Fontana Placentino Prætoræ orta fuit prima dissensio Alexandrini populi, & Communis, quæ maximas postmodum accendit discordiarum faces, quæ vix nunc restinctæ sunt, quo etiam anno Bergolium combustum fuit. Eodem quoque anno Alexandrini arma movent in Marchionem Montisferrati.

MCCXXXIV. Die decimo mensis novembris (1) Alexandrini cum Aquensibus iterato pacem renovant, quam eodem anno 26. julii confecerant ita, quod utraque Civitas contra Cassinarum oppidum libere arma movere, & bellum afferre posset. Alexandrinorum Legati Ruffinus Guasculus, Gullielmus Piovera, Oglerius Guidonis Tignæ, Bentius Asparellus, Anselmus Botta, Lanfrancus Perbonus, Jacobus Collus, Henricus Ghetius, Botta Balbus, Gullielmus Ghignisus; Aquensium Amizonus Buchus (2) Prætor, & Albertus Bottacius.

(1) Vide hoc doc. par. 1. N. 184. col. 201. cæterum non die X. nov., sed exeuntis novembris habet